

*Qua sit certitudo scientia possibilium, & c.* 39

cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Ac tum additur: Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Quæ postrema verba sensum habent valde notabilem & notandum in decursu articuli.

His prænotatis addo cognosci à nobis aliter quæ sunt futura, aliter quæ sunt præterita, & aliter quæ sunt præsentia. Nam quæ futura sunt, ad summum, nisi per conjecturam non novimus, ideoque verè illa nescimus, sed expectamus illa, ut sciamus: quæ verò præterita sunt, rursus non novimus, nisi per recordationem, quæ cum labilis sit atque instabilis, citò ad nescientiam nos adducit: & sic quæ sunt præterita, ea minùs scimus, quàm nescire incipimus. Quare superest, ut ea sola quæ sunt præsentia, verè sciamus, *si tamen verè scimus*, quia nec expectando, nec memorando, sed videndo scimus. Dixi autem, *si tamen verè scimus*; quatenus illa non sunt nobis præsentia, nisi, ut ita loquar, superficie tenus, & ita primam equidem illorum faciem novimus, sed intimam illorum temperiem atque indolem ignoramus: sicque magis nescimus, quàm scimus etiam illa, quæ sunt nobis præsentia.

Jam verò è tribus illis cognoscendi modis, scilicet expectando, recordando, & videndo, planum est duos priores esse Deo indignos, quia præ se ferunt nescientiæ vitium aut periculum. Et inde est quòd ad tertium modum recurri debeat, quo Deus omnia sciat videndo; at neque futura, neque præterita sciri possunt videndo; sed illa expectantur videnda, ista animo retinentur, ut olim visa. Igitur Deus futurum nihil *ut futurum* novit, præteritum nihil *ut præteritum* novit; sed quicquid novit id *ut præsens* novit, quia videndo novit; ut mox fusius exponetur in assertione sequente instituenda ad stabilendum utrunque modum, quo à nobis concipi debeat Deus scire omnia, quæ sunt absolute futura, sub quocunque discrimine, sive necessario, sive liberè futurorum.

V I.

Quàm varie ac incertè cognoscantur à nobis præsentia, præterita & futura.

V II.

Repugnat ea omnia, que Deus cognoscit, aliter ab ea cognosci, quàm ut præsentia.